



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Quæstio IV. De Effectibus legis præsertim Pœnalis, Irritantis, & Dubiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

## Q U Æ S T I O IV.

### De Effectibus legis, præsertim Pœnalis, Irritantis, & Dubiæ.

**O**uatuor ex D. Th. num. 2. sunt actus, seu effectus legis, videlicet præcipere, vetare, permittere, punire. Addunt alii cum Isidoro Obligationem, Abrogationem, seu revocationem alterius legis, Irritationem, seu annullationem contractuum, vel aliorum actuum, & Remunerationem, quos ad illos quatuor a D. Th. enumeratos reducit Salas; quia Obligatio oritur immediate a præcepto, vel prohibitione legis; Abrogatio legis aliquando est mera ablatio legis, & sic non est nova lex; vel si sit per novam legem, eo ipso est effectus novi præcepti, vel prohibitionis; unde ex præcepto, vel prohibitione, aut permissione novæ legis oritur abrogatio legis veteris; Irritatio etiam sub prohibitione continetur, quia eo ipso quod irritatur, verbi gratia, contractus Matrimonii, prohibetur, ne fiant ea, quæ contractui non valente sunt illicita; Et idem dicas de Legibus inhabilitantibus, vel concedentibus præscriptionem, habilitatem, &c. Remuneratio implicite ad punitionem reducitur; quia sicut malis pœna, ita justis præmium debetur; quia tamen lex frequentius punit, & punitio solum a potestate publica legislativa haberi potest, contra vero remuneratio haberi potest etiam a persona privata; ideo D. Th. solum punitionem posuit inter actus, seu effectus legis. Agendum nobis est speciatim primo de obligatione legis, præsertim pœnalis; Secundo, de effectibus legis irritantis. Tertio, de obligatione legis dubiæ.

#### ARTICULUS I.

##### De obligatione Legis universim.

- I. Possunt leges etiam civiles obligare in conscientia; quamvis non omnes de facto obligent, præsertim sub mortali.*
- II. Lex autem fundata in presumptione non obligat, si presumpcio sit falsa.*
- III. Quod si fundetur in presumptione periculi, fraudum, &c., etiam in foro interno probabilis obligat, quamvis desint hic, & nunc fraudes, &c., nisi locum habeat Epischeja.*
- IV. Lex nequit obligare sub gravi in materia & secundum se, & re-*

*late ad finem, levi.*

*V. Potest tamen in materia gravi obligare sub levi tam lex, quam votum.*

*VI. At iuramentum in materia gravi semper obligat sub gravi.*

*VII. Quod lex in materia gravi obliget sub gravi, colligi potest tum ex verbis graviter præceptivis; tum ex usu, & consuetudine; tum ex materia de se gravi; tum etiam si gravis pœna addatur transgressoribus; nec lex sit civilis, & pœnalis.*

**I.** Certum est, legem humanam, etiam civilem, nedum Ecclesiasticam, obligare posse in conscientia sub mortali, ut communissime docent contra Gerson, & Almain apud

pud Merol. cap. 3. dub. 21. Et constat tum ex Apost. ad Roman. 13. , ubi dicitur: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; Tum etiam, quia ipsa recta ratio dicit, deberi in Republica dari Superiores, & Principes, quibus subditi in conscientia parere teneantur: Et circa leges Ecclesiasticas usque adeo id verum est, ut proscripita sit ab Innoc. XI. propos. 52. dicens: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*.

Certum etiam est, non omnes leges obligare in conscientia, præsertim sub mortali; tum quia aliquando Superior expresse non vult in conscientia obligare, nisi ad pœnam; lex autem non obligat ultra mentem Legislatoris, a qua pendet; Tum etiam quia sæpe Superior non vult obligare subditos independentem a populi acceptance; Populus autem sæpe leges, præcipue civiles, non acceptat sub gravamine culpæ, præsertim mortalis. Ita Valent., Vasq., Bonac., & alii communiter.

H. Certum est tertio, legem humanam fundatam in præsumptione nullatenus obligare in conscientia, quando præsumptio est falsa, seu quando constat de opposita veritate: Verbi gratia, Pontifex in cap. *Vestiens, de Sponsalibus* statuit, quod sponsalia de futuro in matrimonium legitimum transeant per copulam carnalem subsecutam; quia præsumitur, quod ubi permittitur ut validum matrimonium clandestinum, talis copula habeatur ex affectu maritali, & sine peccato mortali; Si tamen constet, consensum ad matrimonium defuisse, matrimonium est nullum, & lex nullatenus obligat; Et eadem est ratio de sententia Judicis fundata in præsumptione falsa: Ratio est, quia præfertur veritas præsumptioni.

III. Si tamen lex aliqua feratur ex præsumptione periculi, fraudum, aut aliorum inconvenientium, quæ solent accidere, quamvis hic, & nunc non habeantur ista inconvenientia, adhuc lex obligat, non solum pro foro externo, quod est certum, sed etiam pro interno, ut communius docent apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 27.: Verbi gratia, lex Trident. sess. 24. cap. 15. prohibens fieri professionem ante decimum sextum annum fundatur in præsumptione, quod ante illam ætatem homo non habeat ad talem statum capessendum sufficientem maturitatem; Si quis tamen sit vere tunc doli capax, non per hoc poterit professionem emittere; Et ideo communius docent apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 28., quod cessante fine legis in particulari, non proinde cesset obligatio legis; quamvis in tali casu sæpe locum habeat epicheja.

IV. Quæritur nunc primo, An possit lex obligare sub mortali in materia levi?

Respondeo, quod ut lex obliget sub gravi, requiratur materia, quæ secundum se, vel saltem in ordine ad finem sit gravis; Unde etiam præceptum in virtute Sanctæ obedientiæ in materia levi non nisi leviter obligat. Ratio est, quia aliter lex esset injusta, & in destructionem, non in ædificationem. Ita communiter contra Cordub., Cajet., Armil. Neque dicas, præceptum Adæ impositum a Deo fuisse in materia levi, & obligasse sub gravi. Nam materia illa fuit gravis, ut notat Valent. ob circumstantiam, & finem legis, qui fuit, ut servaretur ab Adamo justitia originalis pro se, & pro posteris; unde esus cibi vetiti fuit gravis, quia ferebat amissionem justitiæ originalis pro se, & pro sua posteritate.

Præterea, ut docet Suar., materia

ria illa fuit gravis ob finem gravem, quia fuit imposita in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & quasi in tributum humanæ subjectionis ad Deum.

Rogabis, unde cognosci possit materiæ gravitas sufficiens ad obligationem legis sub gravi?

Respondeo, materiam esse gravem, quando respicit virtutes graves, ut virtutes Theologales, aut Cardinales, castitatem, religionem, &c. ita tamen, ut violatio talis legis notabilem turpitudinem, & deformitatem in sua specie inducat, quod prudentium iudicio judicandum est, spectata communi hominum æstimatione; Quare, ut materia sit gravis, & debet respicere finem gravem, seu intendere virtutem gravem, & debet graviter ad talem finem conducere; Hinc quia verba otiosa, mendacia, esus immoderatus secundum se non lædunt virtutes graves, ideo secundum se sunt peccatum veniale; Nisi forte aliquando notabiliter læderetur virtus, ut per ebrietatem: Quia tamen, verbi gratia, transire per aliquam viam, accedere ad hortum, &c. potest aliquando esse occasio peccati, ideo ratione scandali vitandi, seu ratione finis gravis potest tunc præcipi sub gravi a Superiore Religiosis, ne per talem vicum transeant, ne ad hortum accedant. Unde fit, quod eadem res relate ad unum finem intentum a Legislatore aliquando sit gravis, & possit sub gravi præcipi; & relate ad alium sit levis, & non possit præcipi sub gravi; Verbi gratia, auditio Missæ potest præcipi a Superiore Ecclesiastico sub gravi, quia graviter conducit ad profectum spirituales, & ad cultum Dei intentum a Superiore Ecclesiastico: Eadem missa potest in aliqua Universitate præcipi Scholaribus, vel ab Abbatisa Monialibus; ut supra diximus, non in ordine ad profectum spiritualem, sed in

ordine ad rectam gubernationem Communitatis; Et quia ad hunc finem non graviter conducit una Missa, ideo si una Missa ab his omittatur, non erit mortale.

Ex dictis infertur cum communi contra Fagund. part. 2. Eccles. lib. 9. quæst. 88. art. 3., quod neque vovens possit in materia levi obligare se sub gravi, quamvis id velit; Sicut nec Confessarius obligare pœnitentem; Ratio est, quia votum est lex privata lata ab ipsomet vovente; lex autem in materia levi non potest obligare sub gravi, quantumcunque id velit Legislator.

V. Quæritur secundo, An viceversa possit in materia gravi lex obligare sub levi?

Respondeo affirmative. Ita communiter cum Suar., Sanch., Sal., Valent contra Vasq., Reginald., & alios apud Bonac. num. 23. Et ratio est, quia lex non obligat ultra mentem Legislatoris; qui sicut potest simpliciter nolle obligare in materia gravi, sed tantum consilium dare, ita poterit præcipere tantum sub levi.

Neque dicas primo, legem naturalem non obligare sub levi in materia gravi; ergo nec lex humana. Nam disparitas est, quia lex naturalis est lex necessaria; non potest enim, verbi gratia, non prohiberi odium Dei, furtum, &c., & ideo obligat, quantum potest; lex vero humana est arbitraria, & ideo sicut potest Superior simpliciter nolle obligare in materia gravi, ita potest nolle obligare sub gravi.

VI. Neque dicas secundo, Votum non posse obligare sub levi in materia gravi; ergo neque poterit lex humana.

Nam Sal., Bonac. contra Vasq., Becan., & alios negant antecedens propter easdem rationes. Verum quidem est, quod iuramentum in materia

ria

ria gravi obliget sub gravi, (ut si quis juret se ingressurum Religionem) non tamen votum; Disparitas est, quia in voto obligatio habetur ex voluntate voventis, qui potest velle promittere Deo ingressum Religionis, obligando se ad id sub levi, & potest idem velle promittere, obligando se sub gravi; At qui jurat, verbi gratia, se Religionem ingressurum, ad id se obligat sub gravi; quia sicut est gravis injuria Dei adducere illum in testem in re falsa, etiam si levissima; (ut si quis juret, se non bibisse, cum de facto biberit) ita in juramento promissorio, esset gravis injuria Dei, adducere illum in testem voluntatis ponendi rem gravem, si deinde sine causa non ponatur: Quamvis probabiliter, si res ponenda est levis, obligatio non erit gravis, si mutato animo res non ponatur; quia veluti Deus parvipeddit, quod ponatur res per juramentum promissorium promissa, dummodo, quando juramentum fuit præstitum, fuerit animus ponendi rem illam: Sicut qui transgreditur votum in re levi, non nisi venialiter peccat, quia Deus non est sollicitus de re levi sibi promissa.

VI. Quæritur tertio, Unde constare potest, quod Legislator velit suis legibus obligare sub gravi in materia gravi? Satisne erit, quod materia ipsa sit gravis, & Superior non exprimat se velle sub levi obligare, ut dicatur velle obligare sub gravi?

Respondeo, Azor., Armil., Suar. lib. 5. cap. 3., Sanch. lib. 6. cap. 4. num. 60., Vasq., Bonac., Sal. disp. 14. sect. 9., & alios communius putare, quod quoties aliquid statuitur in materia gravi per verba præceptiva, toties habeatur obligatio gravis, nisi contrarium aliunde deducatur. Hoc eruunt ex Clement. *Exvi*, ubi Pontifex decernit, regulas Divi Francisci obligare sub mortali, si utantur

verbo præcepti, aut quod æquipol-  
leat præcepto. Et ratio a priori est, quia quoties Superior utitur verbis præceptivis univèrsim vult obligare in conscientia; Et quamvis possit aliquid præcipi sive sub levi, sive sub gravi, tamen præsumendum, quod Superior velit præcipere juxta qualitatem materia; ergo si materia est gravis, censetur velle sub gravi obligare. Hujusmodi est lex præcipiens, verbi gratia, Sacerdoti, quod celebret jejunos, aut cum Sacris vestibus; & lex præcipiens Medicis, ne tempore pestis ab Oppidis ablint; sicut etiam lex præcipiens, ne tempore famis frumentum extrahatur, quamvis in hoc detur parvitas materia.

Præterea procul dubio lex obligat sub gravi, quando ita usus, & consuetudo obligationem legis interpretatur; Et de facto talis est lex de servandis festis, de jejunando, & alia præcepta Ecclesiastica. Addunt communiter, non solum ex consuetudine argui posse obligationem gravem, sed etiam ex verbis non quomodocumque præceptivis, (cum verbum *præcipio* indifferens sit ad præcipiendum aliquid sub gravi, vel sub levi, & ad præcipiendum præcepto obligante in conscientia, & præcepto pure pœnali) sed verbis significantibus aperte, quod Legislator velit præcipere sub gravi; ut si dicat, *In virtute Spiritus Sancti, vel Sanctæ Obedientiæ, sub indignatione Omnipotentis Dei, &c.* Vel si verba præceptiva sint in materia gravi; nam ex materia gravi determinatur præceptum ad obligandum sub gravi. Demum arguitur obligatio gravis, si verbis præceptivis addatur pœna gravis transgressoribus, ut si lex canonica præcipiat aliquid sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, Depositionis, Degradationis, Privationis Ecclesiasticæ sepulturæ; Aut si lex civilis præcipiat aliquid sub pœna mor-  
tis,

is, mutilationis, exilii perpetui, flagellationis, infamiae, trireris, carceris diuturni. Et ratio est, quia ut pœnæ istæ graves sint iustæ, debent supponere culpam gravem; ergo lex, quæ tales pœnas minatur transgressoribus, obligat sub gravi. De obligatione tamen legis pœnalis plurima mox inquiremus.

## ARTICULUS II.

Ad quid obligat Lex Pœnalis?

- I. Probabiliter lex civilis imponens pœnam transgressoribus non obligat sub gravi, nisi id Superior explicet.
- II. Lex pœnalis mixta probabilius obligat in conscientia.
- III. Lex Ecclesiastica imponens pœnam gravem in conscientia obligat. At quanam dicatur pœna gravis? Num excommunicatio sententia ferenda? Num pœna Suspensionis? Quid de pœna privationis Officii, vocisque activa, & passiva?
- IV. Quanam pœna ipso facto incurritur ante sententiam Judicis?
- V. Pœna, quæ requirunt actionem hominis, non incurritur ipso facto ante sententiam declaratoriam criminis.
- VI. Probabiliter pœna privationis vocis activa, & passiva non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis.
- VII. Judex subditus tenetur pœnam lege taxatam imponere, nisi rationalis causa exigat, ut minuatur.
- VIII. Quandonam lex humana obliget etiam cum vita discrimine?

I. Certum est, quod lex Ecclesiastica imponens pœnam gravem spiritualem transgressoribus obliget sub mortali: Probabilis tamen est sententia Navar., Covar., Reginald. lib. 15.

num. 30., Pal. punct. 15., & aliorum apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 17., & apud Merol. cap. 3. dub. 27., quod scilicet nulla lex imponens pœnam temporalem quomodocumque gravem obliget in conscientia sub gravi, nisi aliter Superior exprimat, quod velit sub gravi obligare. Ratio est, quia potest optime Respublica obligare transgressores suarum legum ad pœnam sustinendam, quin obliget ad culpam; talis enim pœna esset iusta, quia supponeret culpam politicam, seu civilem, non theologiam, seu peccatum; Sic potest custodibus in bello imponi vigilia sub pœna vitæ, quin obligentur sub mortali ad vigilandum; bene enim talis pœna imponitur a Republica ad defensionem sui juris, ne subditi audeant illud violare; Sic ut effraCTORibus carceris imponitur pœna gravissima flagellationis; Quamvis communior sententia doceat, non committi culpam mortalem ab eo, qui fugit a carcere.

Neque dicas, quod se exponere periculo mortis sit peccatum mortale; ergo qui transgreditur legem comminantem pœnam mortis, peccat mortaliter, eo quod se exponat tali periculo. Nam, ut notat Dian. loc. cit. resol. 18., potest aliquis tam caute legem transgredi, ut non subsit periculo, ut deprehendatur: Præterquam quod hoc peccatum mortale committeretur per transgressionem legis naturalis de non exponendo se periculo vitæ, non per transgressionem legis illius positivæ.

Adde, non esse imponenda onera, & vincula subditis sine manifesta necessitate; nulla autem necessitas videtur obligandi ad culpam transgressores legis, quando sufficienter timore solius pœnæ possunt arceri a transgressionem.

Confirmatur primo, quia cum Superior sciat, opinionem hanc Navar., &

& aliorum esse probabilem, & non exprimat, quod velit ad culpam obligare, præsumendum, quod nolit obligare ad culpam, præsertim gravem. Confirmatur secundo, quia in dubio obligationis mitior interpretatio facienda est.

II. Quæritur nunc primo, an sicut est probabile, quod lex imponens pœnam temporalem, si sit pure pœnalis, non obliget in conscientia nisi ad subeundam pœnam a Iudice irrogatam; ita probabile etiam sit, quod nec obliget in conscientia lex pœnalis mixta? Dicitur autem lex pure pœnalis, quæ non est præceptiva, sed solum pœnam imponit transgressoribus; Ut si lex dicat; Qui arma portaverit, talem pœnam subeat; non secus ac quando quis vovet conditionate eleemosynam, vel ingressum Religionis, si v. g. luserit. Hic enim si luserit, non peccat contra votum ludendo, sed peccat, si post lusum non eroget stipem, aut non ingrediatur Religionem: Dicitur vero lex pœnalis mixta, quæ simul aliquid præcipit, & simul pœnam imponit transgressoribus; Ut si dicat lex, Præcipimus, ne quis arma ferat sub pœna captivitas.

Respondeo nunc, Becan., Granad., Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 60., Vasq., & alios docere, quod lex pœnalis mixta obliget in conscientia: Quod a fortiori autumant Suar., Sal., Azor., Less., & alii apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 17. docentes, quod etiam lex pure pœnalis obliget in conscientia. Non desunt tamen, qui cum Villalob., Navar., Valent., & aliis apud Dian. loc. cit. resol. 22. putent, ne legem quidem pœnalem mixtam obligare in conscientia, propter easdem rationes adductas pro lege pure pœnali; Quam sententiam probabilem putat Filliuc. tom. 2. tract. 21. cap. 11. num. 418. Sed Suar., & Sanch.

apud Merol. cap. 3. num. 304. probabilius putant, legem esse pure pœnalem, si spectet materiam politicam, vel non magni momenti; secus vero si spectet bonos mores, & vitiorum extirpationem.

III. Quæritur secundo, An lex Ecclesiastica imponens pœnam spiritualem semper obliget sub mortali?

Respondeo, certum esse apud omnes, quod lex Ecclesiastica imponens pœnam excommunicationis lætæ sententiæ obligat sub gravi, quia excommunicatio non solum est pœna gravissima, sed etiam, ut incurrat, debet supponere contumaciam contra præceptum Ecclesiæ, atque adeo peccatum mortale; Et eadem est ratio de pœna depositionis, degradationis, privationis Ecclesiasticæ sepulturae, &c. Certum etiam est, quod ea obliget tantum sub levi, si imponat pœnam excommunicationis minoris, quando materia de se non est gravis. Ratio est, quia pœna excommunicationis minoris censetur levis, quamvis privet perceptione Sacramentorum; quia scilicet ea facile tolli potest per quemcumque confessarium, & probabiliter per quemcumque Sacerdotem: Nihilominus communicare in Divinis cum excommunicato, licet ferat in pœnam solam excommunicationem minorem, quia tamen materia præcepta de se est gravis, ideo peccat mortaliter, qui in Divinis communicat cum excommunicato, quamvis non contrahat in pœnam nisi excommunicationem minorem, ut communiter docent apud Pelliz. tract. 7. cap. 2. ex cap. *Statutum* de sententia excommun. in 6. Et Suar. disp. 24. de Cens. sect. 3. notat, per posteriora jura debere antiquiora explicari, quatenus videntur oppositum definire, præsertim in cap. *Significavit* de sententia excommun., de quo plura in Glossa.

His

His positis, Difficultas est primo apud Doctores, An lex obliget sub gravi, si in pœnam imponat excommunicationem comminatoriam, seu sententiæ ferendæ? Communiter volunt, obligare sub gravi talem legem; quia pœna est gravis: Quamvis Navar., Castrenf., Cajet., Valent. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 21., & Merol. cap. 3. dub. 27. putent obligare sub levi, quia antequam excommunicetur transgressor, debet præcedere monitio; unde tunc incipit peccare mortaliter; quando post transgressionem delinquens admonitus non vult cessare a transgressione; Quam sententiam probabilem putat Salon. Unde juxta hanc sententiam peccat venialiter præciso scandalo Clericus, qui comam nutrit; quamvis in cap. *Si quis, de Vita, & Honestate Clericorum* dicatur, quod sit excommunicandus.

Difficultas est secundo de pœna Suspensionis, Interdicti, & Irregularitatis. Communiter etiam docent, legem obligare sub gravi, si has pœnas imponat: Quamvis Cajet., Navar., Valent., Salon., & alii apud eundem Dian., & Merol. putent obligare sub levi; quia istæ pœnæ possunt incurri etiam propter peccatum veniale; & irregularitas etiam sine ulla culpa. Communis tamen sententia docet cum Sanch., & Suar., Suspensionem, & Interdictum tunc esse pœnas leves, quando aliquis specialis actus illarum ad breve tempus imponitur transgressoribus legis; & in eo solum casu legem obligare sub levi. Irregularitas vero semper est pœna gravis, si propter delictum imponatur, quamvis sine delicto incurratur (verbi gratia, ab illegitimo, a cæco, claudo, &c.) irregularitas, non quæ sit pœna, sed quæ sit impedimentum canonicum ad ordines exercendos, & suscipiendos.

Quod attinet ad pœnam privatio-

*Pars I.*

nis officii, vocisque activæ, & passivæ, communiter cum Salas, Duarido, Peirino apud Dian. par. pr. tract. 10. ref. 22. docent esse pœnam gravem, quæ indicet Legislatorem velle sub gravi obligare; ideoque S. Congregatio apud eundem Dianam declaravit, decretum Sixti V. obligans Regulares, ne accedant ad Monasteria Monialium sub his pœnis, obligare ad peccatum mortale: Immo ad id obligare, etiam si per modicum tempus cum Monialibus colloquantur, declaravit pariter S. Congr. die 11. Maii 1669. approbante talem declarationem Clem. IX., qui illam typis dari, ac servari iussit. Quare non sunt audiendi, qui apud Dianam loco laudato putant probabile, quod talis pœna non indicet gravem obligationem, eo quod videatur lex ista esse pœnalis, & probabiliter pœna isthæc non incurratur ante sententiam declaratoriam criminis, ut mox dicemus.

IV. Quæritur tertio, An quando in lege pœnali dicitur, quod transgressor ipso facto pœnam subbeat, teneatur in conscientia pœnam subire ante sententiam Judicis?

Respondeo, posse quidem legem humanam obligare ad subeundam ipso facto ante sententiam Judicis pœnam proportionatam delicto, dummodo non sit nimis atrox, ut communiter docent contra Sot.: De facto tamen incuruntur ipso facto in conscientia pœnæ, quæ nullam hominis actionem requirunt, sed consistunt in passione, & per ipsam legem pœnam inferentem executioni mandantur; ut sunt censura, irregularitas, &c.: Et eadem est ratio de lege irritante, & inhabilitante; Et ratio est, quia ita fert usus, & consuetudo, ut pœnæ istæ ante sententiam Judicis, etiam criminis declaratoriam, ipso facto incurantur, si in lege statuatur pœna ipso facto, vel ipso jure incurrenda. Beneficarii

K pa-

pariter omitentes officium incurrunt etiam ipso facto onus restitutionis fructuum; Verum tale onus non est poena, sed oritur, quia non faciunt fructus suos.

V. Quando tamen poenae per legem impositae requirunt actionem hominis, ut poena mortis, carceris, flagellationis, privationis rei propriae, quae per actionem vel tertiae personae, vel ipsius delinquentis infligi solent, communiter Doctores docent apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 13., quod reus non teneatur talem poenam subire ante sententiam declaratoriam criminis; quamvis in lege dicatur, quod ipso facto illa poena incurratur; Intelligitur enim, quod ipso facto incurratur post sententiam declaratoriam criminis; nisi aliunde constet, quod Legislator velit, ut poena aliqua moderata ante quamcumque sententiam Judicis incurratur: Et ratio est, tum quia ita fert usus, & consuetudo; tum etiam quia alias lex esset nimis rigorosa, & inhumana; tum demum quia in cap. *Cum secundum leges, de Haereticis in 6.* dicitur, quod ipso facto incurratur poena confiscationis bonorum ab haereticis; & deinde additur requiri sententiam declaratoriam criminis. Immo addunt Molin., Sanch. cap. 22. contra Vasq., quod post sententiam declaratoriam criminis, neque teneatur reus offerre bona sua, cui adjudicantur, sed tantum teneatur non resistere, ut bona ab eo exigantur. Similiter Less., Sanch., Vasq., & Pal. fusc. punct. 30. apud eundem Dian. contra Molin., Reginald., Rebel. docent, poenam conventionalem appositam in contractu ante sententiam Judicis non deberi. Circa poenam privationis vocis activae, & passivae communiter docent apud Dian. loc. cit. resol. 14., quod ipso facto incurratur ante sententiam declaratoriam criminis; sicut certum est incurrere ipso

facto privationem facultatis petendi debitum, quam contrahit conjux incestuosus; & qui post votum simplex Castitatis contrahit Matrimonium. Similiter ipso facto incurratur impedimentum dirimens matrimonium propter adulterium, quod quis, fide data de futuro matrimonio cum aliqua, commisit; Sicut statim a Simoniacis incurratur poena inhabilitatis ad beneficia: Et ratio est, quia hujusmodi inhabilitates, & privationes comparantur censuris, & irregularitatibus, nec ex usu ulla disparitas assignari potest; ad illarum enim executionem non requiritur hominis actio, sed satis est ipsa lex, & voluntas Legislatoris significata per verba illa, *ipso facto*, ut statim poena executioni mandetur. Et ratio radicalis horum omnium est, quia frustrarentur hujusmodi leges, nisi poenae istae incurrerentur ante sententiam Judicis non solum condemnatoriam, sed etiam declaratoriam criminis, eo quod raro possent ad Judicis notitiam haec delicta devenire.

VI. Nihilominus Sot. apud Dian. loc. cit. resol. 23. putat, privationem vocis activae non incurrere ante sententiam declaratoriam criminis; quod etiam docent Molin., Granad., Malder., & alij; ne electiones omnes reddantur incertae; & quia ita fert consuetudo: Et circa privationem vocis passivae, nemo tenetur illam subire ante sententiam Judicis cum sua infamia. Adde ex Sanch. lib. 6. cap. 17. num. 39. contra Rodriq., Less., & alios apud Merol. disp. 1. cap. 2. num. 523., quod quamvis in motu proprio Pii V. dicatur, quod Religiosi admittentes feminas intra claustra Monasteriorum incurrant ipso facto, & sine alia declaratione poenam privationis suorum officiorum, & inhabilitatis ad illa; tamen haec etiam poena, ut incurratur, requirit sententiam declaratoriam non quidem poenae, sed criminis, ut mul-

ti apud eundem Sanch. interpretantur. Sicut etiam pœna privationis officiorum imposita iisdem verbis in Extravag. *Ambitiosa* contra Rectores Ecclesiarum alienantes bona suorum Beneficiorum. Ratio est, quia hujusmodi pœnæ requirunt actionem hominis, ut fert consuetudo; & quia nimis rigida esset lex, si obligaret hominem, ut sponte deponat sua officia, nempe Provincialatum, Superioratum localem, &c. Neque dicas cum Merol., quod esset superfluum addere illa verba, *ipso facto, & sine alia declaratione*. Nam per illa verba *ipso facto* significatur, quod non requiratur sententia condemnatoria, sed factis sit sententia declaratoria criminis, & per illa verba *Sine alia declaratione* significatur, quod non requiratur sententia declaratoria pœnæ; statim enim ac declaratum est crimen, incurritur pœna a lege imposita.

VII. Quæritur quarto, An lex pœnalis obliget Judicem ad infligendam reo pœnam præscriptam, quin possit illam minuire, vel augere?

Respondeo cum D. Th. 2. 2. quæst. 67. num. 4., & aliis communiter apud Pal., Principem supremum posse arbitrari; quia ille sua lege non coarctatur; Satis enim est, ut legi naturali obediat de non puniendo ultra modum delictum leve, aut nimis leviter delictum grave, quando id non expedit ad bonum commune. At Judex subditus Legislatori tenetur legem Superioris servare, & sic pœnam in lege taxatam imponere, quamvis pars læsa injuriam remitteret: Lex enim pœnam taxans obligat Judicem ad illam imponendam; quin tamen teneatur reus illam subire, antequam imponatur: Quare sicut contra justitiam commutativam peccaret, qui venderet merces ultra pretium justum legale, seu ultra taxam impositam a lege; ita peccaret contra justitiam legalem

Judex, qui pœnam a lege taxatam non imponeret.

Neque dicas, sæpe Judices illam minuire, & sæpe a Religiosis eos rogari, ut remittant. Nam aliquando potest minui per epichejam; (quando scilicet adsunt rationabiles causæ; aliter Judex ex leg. *Servos Cod. in legem Juliam* minuendo pœnam debitam est infamis) aliquando apud Judicem interpellatur, non ut pœnam justam minuat, sed ut, si res aliquo modo sit dubia, mitior interpretatio fiat; & ut tantum de pœna remittatur, quantum intra latitudinem justitiæ fieri potest.

VIII. Quæritur ultimo, an lex humana obliget aliquando etiam cum periculo vitæ?

Respondeo, tunc ad id obligare, quando id expedit ad bonum commune: Verbi gratia, tempore pestis potest Princeps obligare subditos ad serviendum infirmis, & tempore belli ad custodiendam civitatem, etiam cum periculo vitæ; aliter bonum publicum periclitaretur: Sic in corpore humano exponitur membrum sectioni ad conservandam vitam, & membrum minus principale exponitur ad conservationem principalioris. In aliis casibus lex humana non obligat cum gravi incommodo; quia Respublica est mater, non matertera, est gubernatrix, non domina; & iniqua esset gubernatio, si vitam privatorum exponeret absque necessitate boni communis. Carthusiani autem ex Vasq. contra Sanch. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 136., & tract. 4. resol. 32. obligantur cum periculo vitæ ad abstinendum in infirmitate a carnibus, non quidem ex voto, sed ex statuto, & consuetudine Religionis; quia spectare videtur ad bonum commune Religionis, ut ea consuetudo vigeat etiam in articulo mortis.

## ARTICULUS III.

## De Effectibus legis irritantis.

- I. Lex aliquando vult contractum esse irritum, aliquando vero irritandum.
- II. Si lex irritet contractum in pœnam delicti, dicitur lex Pœnalis; secus vero si illum irritet ob bonum commune.
- III. Quenam verba legis denotant contractum esse irritum; quanam vero esse irritandum?
- IV. Ex actu irritato lege humana nulla oritur obligatio in conscientia: Idque etiam verum est, etiamsi lex irritans funderetur in presumptione fraudis, qua absit reapse.
- V. Si lex tamen presumat fraudem in singulis casibus, cessante fraude, certe non obligat; secus vero si presumatur fraus ut plurimum.
- VI. Regulariter, si irritatio actus sit pœnalis, requirit sententiam iudicis, ut illum irritet; non tamen si lex irritans non sit pœnalis.
- VII. Lex prohibens actum nonatenus universim illum irritat.
- VIII. Actus ex defectu formae substantialis est irritus. Sed quanam dicantur pertinere ad formam substantialem actus; quanam ad accidentalem?
- IX. Ex regulis praescriptis plura ad praesens inferuntur.
- X. Actus praecipuus, vel prohibitus in casu arduo pati potest Episcopalem; Actus vero, qui ob defectum solemnitatis a jure praescripta est irritus, ut Matrimonium clandestinum, in nullo casu est validus.
- XI. Cur possit Episcopus ex urgentissima causa dispensare in impedimento dirimente, verbi gratia, consanguinitatis; non tamen in impedimento Clandestinitatis?

XII. Lex irritans sicut non patitur episcopalem, ita obligat etiam ignorantes illam.

XIII. Sicut ignorantia legis non impedit actus irritationem, ita nec metus.

XIV. Non cessat obligare lex irritans, si finis legis cesset negative; secus vero si cesset contrarie.

I. **L**ex aliquando irritat contractum, vel alium actum, qui seclusa lege irritante validus foret: Expedit ad bonum Reipublicae, ut in legislatore sit ea potestas; Sicut enim quilibet potest in suo contractu conditionem apponere, sine qua nolit se obligare; ita Legislator in bonum commune potest in contractibus subditorum apponere aliquas condiciones, sine quibus contractus non obligent, & sint irriti. Porro aliquando lex irritat contractum ipso facto, ut irritatur a Tridentino Matrimonium clandestinum; sic etiam ipso facto irritum est Matrimonium cum impedimento dirimente; necnon contractus impuberum, & alienatio rerum Ecclesiae non servata debita forma: Aliquando vero lex non vult, contractum esse ipso facto irritum, sed vult, quod per Iudicem irritetur, ut est contractus, in quo intervenit deceptio ultra medietatem iusti pretii, ex leg. 2. Cod. de Rescindenda venditione.

II. Ex quibus apparet, an lex irritans dicenda sit pœnalis? Si enim id faciat in pœnam delicti, est pœnalis, ut contingit in lege irritante Matrimonium ob crimen uxoricidii, & adulterii cum promissione futuri Matrimonii, & in lege irritante electionem ad beneficium ob simoniam commissam. Contra vero non est pœnalis, si non in pœnam delicti, sed ob bonum commune feratur, ut lex irritans Matrimonium Clandestinum, Professionem ante decimum se-

sexum annū, &c.: Sicut enim datur duplex irregularitas, altera in pœnam delicti, altera ob indecentiam status; ita datur duplex lex irritans, altera pœnalis, altera vero propter bonum commune.

III. Quæritur nunc primo, unde cognosci possit, num lex irritet actum ipso facto, an velit irritandum esse?

Respondeo, citra controversiam reddi actum irritum, si lex expresse dicat, Talis actus sit irritus ipso jure, ipso facto, eo ipso, ex tunc, &c.; Vel si dicat, Nullius sit momenti, valoris, aut efficaciam, pro infecto habeatur, inutiliter agat, frustra fiat; Aut si in translatione domini dicatur, Non faciat suum, non possit in conscientia recipere, vel retinere. Quod si dicat, Careat omni robore, omni jure, firmitatem non habeat, distinguendum est; Nam si hæc verba cadant supra actum, reddunt illum ipso jure irritum; si cadant supra personam, verbi gratia, Privetur omni jure, amittat omne jus, &c., significant, actum esse irritandum; quia universim actus dicendus validus, quoties clare non constat esse irritum.

Præterea si verba legis dicant, Non possit hoc fieri, aliquando significant, actum esse illicitum, non invalidum, sed regulariter loquendo dicendum est, quod irritum reddant actum, ex Pal. punct. 17. Nam vel materia legis pendet ab ipso Principe, & lege, ut est administratio bonorum communium, electio, officium tutoris, &c., & quando in his dicitur, quod aliter fieri non possit, omnes Doctores conveniunt, quod tollatur potestas ad actum, & sic actus erit nullus; etenim, ut sit validus, requiritur potestas ad actum, quæ ab ipsa lege detur; Quare cum a lege non detur ista potestas, erit invalidus. Quando vero materia legis est proprii domini, seu pendet a voluntate subditi, ut donatio rei

propriæ, alienatio proprii patrimonii; si lex dicat, Non possit aliter alienari, quamvis videatur alienatio esse tantum illicita, tamen regulariter loquendo hujusmodi actus sunt invalidi; quia cum possit potestas ad id faciendum tolli, vel limitari a Republica, censendum, quod velit illam tollere per legem: Unde communiter cum Farinac. docent, quod leges dicentes, Non posse, verbi gratia, fieri donationes inter conjuges, contractus minoris, &c., omissis conditionibus præscriptis, irritent tales actus.

IV. Quæritur secundo; An ex actu lege humana irritato oriatur obligatio in conscientia?

Respondeo, ex tali actu in utroque foro nullam haberi obligationem. Ratio est, quia ex actu, cui lex resistit, nulla oritur obligatio, ex leg. *Cum pupillus ff. De Constitution.*, lex autem resistit actui, quem irritat; ergo ex illo nulla oritur obligatio. Hinc Matrimonium clandestinum, quia est irritum lege humana, non parit ullam obligationem naturalem in foro conscientiam reddendi debitum; immo usus matrimonii esset fornicarius, & illicitus. Hinc etiam est, quod res accepta ex contractu invalido restituenda sit cum fructibus; quia scilicet talis lex irritans translationem domini obligat in conscientia. Putant multi, quod lex irritans fundata in præsumptione, non obliget in conscientia, quando revera præsumptio est falsa; Unde putant testamentum minus solemne obligare in conscientia; quia lex irritans tale testamentum fundatur in præsumptione fraudum, quæ aliquando est falsa. Sed communius docent oppositum; nam matrimonium clandestinum est in utroque foro irritum, quamvis lex illud irritans fundatur in præsumptione fraudis. Unde communius docent in materia de contractibus cum Bonac. disp. 3. qu. 17. punct.

punct. 3. num. 5. contra Lessi. lib. 2. cap. 3. disp. 3., Molin., Sà, quod testamentum sine solemnitate requisita factum, & non causa pietatis (nam si fiat causa pietatis, non requiritur solemnitas juris civilis, ex cap. *Relatum*, De Testamentis) sit irritum etiam in foro conscientiae, itaut nullam inducat obligationem naturalem; quia in jure dicitur, quod imperfectum testamentum nullum sit; testamentum autem carens solemnitate est imperfectum, & ideo nullum. Unde fit, quod haeres non teneatur solvere legata, quae non sint ad causas pias, facta in testamento minus solemniter; Sicut etiam, quod haeres ab intestato non teneatur quicquam tradere haeredi instituto ex testamento minus solemniter. Demum ex Bonac. haeres non tenetur in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quam ipse testator expressit in schedula scripta, & subscripta propria manu; quia ista scriptura non habet vim testamenti solemniter; Quamvis inter liberos vim habeat testamenti, ex Auth. *Quod sine Cod. de Testamentis*.

V. Quare notandum ex Sal. disp. 16. sect. 10., aliquas leges fundari in eo, quod Legislatores aliquid praesumat in singulis casibus; Ut lex, quae ante Tridentinum statuebat, sponsalia de futuro transire in matrimonium per copulam; quia praesumitur in singulis casibus cum copula advenire novum consensum requisitum ad matrimonium; Sic etiam sententia Judicis praecipiens restitutionem aliquam propter fraudem praesumptam: Et istae leges nullatenus obligant, si praesumptio sit falsa. Aliae vero leges fundantur in eo, quod Legislatores non in singulis casibus, sed plerumque aliquid praesumat; ut verbi gratia, lex irritans professionem ante decimum sextum annum, matrimonium clandestinum, &c., & istae leges obligant etiam in

casu, quo praesumptio est falsa; Et ideo sententia communior fert, quod, cessante fine legis in casu particulari, non cesset legis obligatio. Vel dicas, aliquando Legislatorem velle, ut lex obliget in singulis casibus, etiam si falsa sit praesumptio, in qua fundatur, ut lex irritans matrimonium clandestinum; sic etiam lex naturalis vetans fornicationem semper obligat, quamvis aliquando cesset ejus finis, videlicet mala educatio proles: Aliquando vero potest Legislatores velle, ut lex non obliget in iis casibus, in quibus falsa est praesumptio, in qua fundatur, ut lex statuens sponsalia transire in matrimonium per copulam. Quanam vero lex sit hujus, vel illius modi, judicandum est ex materia legis, & ex variis conjecturis, ex quibus deduci possit, num Legislatores velit, legem observari in omni eventu, etiam si de facto sit falsa praesumptio, in qua lex fundatur; an vero velit, observari in eventu dumtaxat, quod praesumptio sit vera.

VI. Queritur tertio; An irritatio ipsa facto imposita statim incurratur ante sententiam Judicis?

Respondeo, communius Doctores apud Bonac., & Pal. punct. 10. cum Suar. lib. 5. cap. 32., & Sanch. lib. 5. disp. 4. velle, quod si irritatio est lex poenalis, requirat sententiam declaratoriam Judicis; non secus ac quaelibet alia lex poenalis, quae actionem hominis requirit, ut diximus art. superiore: Excipiunt tamen contractum, qui non potest valide fieri; ut est contractus matrimonii; Unde lex irritans matrimonium ejus, qui mortem intulit uxori animo ducendi concubinam, quamvis sit poenalis, non requirit sententiam declaratoriam criminis, ut reddat irritum matrimonium. Si vero lex irritans non sit poenalis, multi apud Pal. cum Navar. probabiliter docent, ante sententiam Judicis actum

non

non esse irritum, si nihil contineat contra naturalem justitiam, & æquitatem; Unde putant, testamentum minus solemne ante sententiam Judicis non esse irritum, si nulla in eo fraus sit commissa; Nec alienationem bonorum Ecclesiæ esse irritam ante Judicis sententiam, si cedat in Ecclesiæ utilitatem: Contra vero actum esse statim irritum, si sit malus, ut alienatio in damnum Ecclesiæ.

Communior tamen sententia docet cum Sal. disp. 16. sect. 9., Suar. lib. 5. cap. 34., Pal. loc. cit., omnes hujusmodi leges non pœnales, sive aliquid contra naturalem æquitatem contineant, sive non, statim sortiri effectum suum, neque indigere sententia ulla; Ratio est, quia causa istarum legum non est fraus, vel dolus, qui in singulis casibus interveniat, sed periculum illorum; quod adesse communiter certum est; Hæc etiam ratio semper subsistit, etiamsi in aliquo casu fraus, aut dolus non interveniant; & ideo semper obligat lex irritans, atque adeo ante sententiam Judicis irritat actum.

VII. Quæritur quarto, An eo ipso, quod lex prohibeat actum, censeatur illum irritare?

Respondeo, Silvest., & Panormit. id affirmare, positis quibusdam exceptionibus; quia in leg. *Non dubium* Cod. de Legibus, & in jure canonico Reg. 64. de Regul. juris in 6. dicitur: *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*; Unde communiter Jurisperiti volunt esse irritos contractus lege prohibitos, quamvis lex non addat esse irritos. Sed communis sententia cum Suar., Sal., Bonac., Pal. docet, actum seu contractum non esse irritum per hoc præcisè, quod prohibeatur. Ratio est, quia prohibere, & irritare sunt omnino diversa; illud importat solum obligare, ne fiat, atque adeo reddere ipsum solum illicitum;

irritare vero importat reddere voluntatem inefficacem in ordine ad id, quod intendit: Sic peccat, & illicite contrahit matrimonium, qui est in peccato mortali, non præmissa contritione, vel confessione, at valide contrahit: Et qui habet votum simplex castitatis, illicite, sed valide matrimonium contrahit: Sic etiam qui sponsalia fecit cum Berta, illicite, & valide contrahit cum Theresia; Et donatio prohibita potest esse valida.

Ad id quod objicitur, respondetur primo cum Molin. in leg. *Non dubium* significari tantum, quod contractus prohibitus sit irritandus, non irritus; ut constat ex cap. *Vides*, dist. 10., ubi dicitur: *Quicquid contra leges accipitur, per legem dissolvi meretur, ( idest a Judice ) & pro infectis habeatur*; In hoc itaque sensu Jurisperiti dicunt hujusmodi contractus esse irritos: Quod tamen verum est, si contractus irritari potest; nam matrimonium, quod irritari non potest, neque irritum est, neque irritandum, etiamsi contra prohibitionem fiat. Secundo respondetur cum Pal., etiamsi dicatur in lege, quod contractus prohibitus ipso jure sit irritus, adhuc quia hæc irritatio est pœnalis, potest expectari sententia declaratoria criminis. Tertio Sanch. dicit, Regulam illam, *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*, intelligendam esse de iis, quæ dant formam actui.

VIII. Quæritur quinto; Quandonam dicatur irritus actus ex defectu formæ substantialis?

Respondeo, certum esse, quod in moralibus forma substantialis dans valorem actui sit illa, qua non servata, actus non subsistit; Sicut in Physicis forma substantialis dicitur illa, qua sublata tollitur immediate compositum: Contra vero forma accidentalitatis dicitur illa, quæ ad valorem actus non est necessaria, seu qua sublata adhuc actus

actus subsistit: Verbi gratia, quia sublata præsentia Parochi, & Testium, matrimonium est nullum, ideo præsentia istorum dicitur pertinere ad formam substantialem matrimonii; Contra vero, quia non præmissis denunciationibus matrimonium est validum, ideo denunciations dicuntur pertinere ad formam accidentalem matrimonii.

Difficultas est in cognoscendo, quænam pertineant ad formam substantialem, & irritent actum, quænam vero ad accidentalem? Prima regula ad id dignoscendum est; Si præscribitur aliqua forma, seu solemnitas cum clausula irritante actum sine tali solemnitate; id pertinet ad formam substantialem; ut si dicatur, ad professionem requiri annum novitiatus, aliter professio erit nulla. Secunda regula est, quando solemnitas aliqua præscribitur apponenda post contractum, talis solemnitas solet pertinere ad formam accidentalem, cum supponat actum jam constitutum; Nisi dicatur expresse, quod aliter actus sit nullus; Ut si dicatur, quod ex re vendita talis gabella solvatur, alias venditio sit nulla: Econtra solemnitas, quæ præscribitur servanda in ipsa effectione actus, sæpe est substantialis; ut est præsentia Parochi requisita in matrimonio; Dixi tamen, sæpe esse substantialem, non semper; Nam solemnitates requisitas in *cap. 1. de sententia excommunicationis in 6.* certum est, esse accidentales, licet in ipso actu excommunicationis requirantur. Tertia regula ex *Sal. disp. 16. num. 37.*: Quando Legislatores, qui inveniunt, & præcipiunt formam, dat etiam potestatem ad actum, talis forma solet esse substantialis: Sic quia Christus Dominus, qui invenit, & præcepit formas Sacramentorum, dedit potestatem ad illa conferenda, ideo formæ Sacramentorum sunt substantiales: & forma præscri-

pta in alienatione bonorum Ecclesiæ est substantialis, quia Ecclesiæ dat potestatem ea alienandi sub tali forma; Unde sequitur, quod si alicui detur potestas aliqua, verbi gratia, concedendi leges petito consilio, si ille non petito consilio id faceret, nulliter operaretur. Contra vero, si supponitur potestas, & præscribitur a Legislatore forma, talis forma solet esse accidentalis; Et propterea solemnitates, quæ ab Ecclesiâ præscribuntur in conferendis Sacramentis, dicuntur accidentales, quia supponitur potestas conferendi illa a Christo Domino collata: Sic etiam sunt accidentales omnes illæ solemnitates in jure requisitæ ad ferendam excommunicationem, videlicet, quod feratur cum scriptura, cum expressione causæ, &c., quia supponunt potestatem excommunicandi.

IX. Ex quibus infertur primo cum *Medin. , Sal. disp. 16. sect. 10. , Pal. contra Sanch. lib. 3. disp. 32. apud Merol. cap. 5. num. 203.*, quod si Episcopus habenti facultatem audiendi confessiones prohibeat, ne audiat confessiones sceminarum, illicite ille, sed valide istas absolvit; quia potestas præsupponitur: Contra tamen, si quando datur jurisdictio, datur solum ad audiendas confessiones masculorum, invalide Confessarius sceminas absolvet.

Infertur secundo, quid dicendum, si potestas ad aliquid, verbi gratia, ad leges ferendas, concedatur alicui Superiori petito consilio? Certe leges latæ non petito consilio erunt nullæ; Secus vero si habenti potestatem ferendi leges præcipiatur, ne illas condant sine consilio, ut docet idem *Merol.*

Infertur tertio, quod quando delegatur potestas, & præscribitur forma procedendi in delegatione, talis forma est substantialis: Nisi tamen aliquan-

quando censeatur Legislator tantum monere delegatum de obligatione, quam habet ex jure communi; ut quando in Jubilæo datur facultas absolvendi a censuris, auditis confessionibus, præmissa satisfactione partis, & imposita pœnitentia salutari; Sicut etiam quando datur mandatum alteri, ut suo nomine Matrimonium contrahat, præmissis denunciationibus; ut communiter docent contra quamplures. Ratio est, ut notat Pal. punct. 21. & Sanch. lib. 3. disp. 5., quia cum jure communi exigantur denunciationes ante matrimonium, & præmissio confessionis, & satisfactionis factæ Parti, & impositio pœnitentiæ ad conferendam absolutionem a censuris, efficitur, quod id non requiratur nunc alio modo, quam requiratur in jure communi, nisi explicetur; ergo cum in jure communi ista exigantur ad ritum, non ad valide contrahendum, vel absolvendum, ideo dicendum, quod pertineant ad formam accidentalem, & quod apponantur solum ad monendum de obligatione, quæ ad id habetur ex jure communi. Quando autem his omnibus, & aliis conjecturis inspectis dubium est, num forma sit substantialis, an accidentalis? Dicendum cum Pal. punct. 9. num. 9. ex Farinac., & aliis, quod sit accidentalis, quia favendum est valori actus.

Notandum hic primo, quod quamvis dicat aliquando lex, non servata tali forma, non posse actum fieri, non proinde sequatur, quod actus sit invalidus sine tali forma; quia potest esse sensus, quod sine tali forma non possit licite fieri; Ut si dicatur, quod non possit absolvi pœnitens non præmissa correctione fraterna, aut satisfactione Partis: Quamvis ut plurimum significetur, quod non possit actus valide fieri: & ratio est, quia eo ipso, quod præscribitur aliqua forma sine illo addito, sequitur, quod non pos-

*Paris l.*

sit licite fieri actus sine tali forma; ergo ne sint superflua verba illa superaddita (quod scilicet non possit actus fieri sine tali forma) dicendum, quod Legislator velit actum irritare tali forma non posita.

Notandum secundo, quod quando omissio formæ substantialis est modica, actus non invalidatur; ut si quis in forma consecratoria omittat *ly enim*, aut syllabam corrumpat, quæ non mutet moraliter sensum verborum, puta si dicatur, In nomine Patre; Secus vero si dicatur, in nomine Matris in forma Baptismi.

Notandum tertio ex Suar. lib. 5. cap. 28., & Pal., quod quando statutum mandat aliquid fieri certo loco, ac tempore, tunc actus contra id factus est illicitus, sed validus; quia talis circumstantia appositæ videtur spectare ad formam accidentalem, nisi aliter procedat Legislator ad annullandum actum. Unde si detur alicui facultas audiendi confessiones post auroram in Ecclesia, confessio alio tempore, & loco facta erit valida, & illicita.

X. Quæritur ultimo, An actus factus sine substantiali solemnitate a jure præscripta ex urgentissima causa sit validus?

Respondeo cum communiori apud Sanch. lib. 3. disp. 17. contra Covarr., & alios negative: Nunquam enim est validum, verbi gratia, Matrimonium clandestinum, posita quacumque causa urgentissima, ut communiter docent contra Veracrux, Vegam, Graff. apud Merol. disp. 4. cap. 5. dub. 16. Ratio est, quia sine forma substantiali actus non subsistit. Immo quamvis possit aliquando dispensare Episcopus in impedimento dirimente, ut docent passim multi Doctores, posita urgentissima causa; nunquam potest dispensare, ut matrimonium, verbi gratia, clandestinum sit validum, ubi rece-

*L*

*ptum*

ptum est Tridentinum. Ratio est, quia potest quidem inferior data causa iusta dispensare in lege superioris; at nullatenus effici potest, ut actus sine forma substantiali essentialiter requisita ad ejus valorem subsistat.

Neque dicas primo, humanas leges non obligare cum magno rigore, & admittere Epikejam, seu mitem interpretationem. Nam communiter docent contra Capuam, Vegam, & alios apud Sanch. loc. cit., id esse verum, quando leges humanae aliquid praecipunt, vel prohibent, non vero quando irritant, aut quando inhabilitatem inducunt, vel quando praescribunt formam substantialem actui; quia sine forma substantiali corrumpitur compositum, tam in Physicis, quam in Moralibus; Et ideo professio, verbi gratia, est invalida ante annum decimum sextum posita quavis causa.

XI. Neque dicas secundo, quod si potest Episcopus dispensare in uno impedimento dirimente, poterit etiam in alio; sed admittitur a multis Doctoribus, quod urgente gravi necessitate possit, verbi gratia, dispensare, ut matrimonium fiat inter consanguineos, vel affines; ergo etiam dispensare poterit in impedimento clandestinitatis.

Nam disparitas est manifesta; lex enim irritans matrimonium inter consanguineos non irritat illud simpliciter, sed irritat, si id fiat sine dispensatione; Cum ergo possit, & soleat Pontifex in tali impedimento dispensare, poterit Episcopus etiam in casu necessitatis, & sic non fit matrimonium contra legem praescriptam: Contra vero cum non soleat Papa dispensare, ut matrimonium fiat sine Parocho, & testibus, ideo lex irritans matrimonium clandestinum irritat illud simpliciter, atque adeo non est licitum Episcopo dispensare in tali lege, in qua Papa nunquam dispensat; Et

idem dicas de similibus impedimentis. Adde, quod quamvis detur locus Epikejae in lege humana praecipiente, vel prohibente, ita ut possit in casu urgentissimo existimari, quod lex illum casum non comprehendat, nunquam tamen datur Epikeja in lege irritante; & ideo nec licitum, nec validum est matrimonium inter consanguineos non obtenta saltem ab Episcopo in casu urgentissimo dispensatione, posito quod soleat Papa illam dare; ergo cum in lege irritante matrimonium clandestinum non soleat dare dispensationem Papa, sequitur, quod semper sit invalidum, ita ut non possit Episcopus in tali impedimento dispensare.

XII. Hic advertet, quod lex praescribens formam substantialem contractui, sicut obligat in omni casu, quamvis urgentissimo, ita pariter obligat ignorantes illam; seu habet effectum suum, quamvis ea lex ignoretur. Et ratio est clara, quia si deficiat forma, sive sciatur, sive ignoretur, deficit compositum: Sic matrimonium clandestinum est invalidum, quamvis lex Tridentini ignoretur a contrahentibus; Et alienatio bonorum Ecclesiae est invalida, non servata ob ignorantiam debita forma. Et irrita est collatio beneficii facta alicui ignorantem pactum aliorum simoniacum, ex cap. *Nobis fuit, de Simonia*; lex enim per se irritat illum actum sine ulla ordinatione ad conscientiam operantis; unde licet ignorantia impediatur culpam, non tamen impedit nullitatem actus. Quando tamen irritatio est pura poena, (ut est irritatio matrimonii facti post uxoricidium cum promissione talis matrimonii; vel facti post adulterium cum promissione matrimonii cum adultero post mortem conjugis) tunc putat Sal. dub. 16. sect. 3., Merol., Suar. lib. 5. cap. 22., Sanch. lib. 9. disp. 52. num. 18. apud Pal. disp. 2. punct.

punct. 13. num. 7., ignorantiam inculpabilem excusare; sicut ea excusat ab irregularitate pœnali; quia cessante causa legis, quæ est punitio delicti, cessat lex. Hinc Beneficiarius omitens inculpabiliter horas facit fructus beneficii suos, eo quod deficiente culpa non debeat incurrere hanc pœnam non faciendi fructus suos.

XIII. Adverte secundo, quod sicut ignorantia non impedit irrationem actus, ita nec metus; unde matrimonium clandestinum est nullum, etiamsi fiat per metum cadentem in constantem virum. Ratio est, quia magis tollit voluntarium ignorantia, quam metus; ergo cum ignorantia legis irritantis non impediatur nullitas actus, a fortiori nec impeditur metus; Qui si sit gravis, excusat a lege humana prohibente, vel præcipiente, non tamen impedit effectum legis irritantis, aut inducentis inhabilitatem ad aliquid. Quod constat ex usu, & sensu totius Ecclesiæ, & communi consensu Doctorum, ut notat Suar.

XIV. Notandum tertio, Legem irritantem tunc non fortiri suum effectum, cum cessat ratio legis, non quidem private, sed contrarie; seu quando ex irratione sequitur aliquid contrarium intentioni Legislatoris: Verbi gratia, si irritetur actus in favorem alicujus, quando irritatio cedit in damnum illius, tunc actus non est irritus; Ideo alienatio facta a Minore sine consensu Curatoris valida est ex Felino, si cedat in utilitatem Minoris; Et contractus factus a Religioso sine licentia Prælati, licet per se sit nullus, tamen si cedat in utilitatem Religionis, ex Navar. apud Merol. cap. 5. dub. 16., est validus; quia in favorem Religionis irritatio est facta; Et idem dicas de alienatione bonorum Ecclesiæ, non servata forma præscripta, ex Puteo, & Riccio contra Vincent. de Franch. apud Merol. cap. 5. num. 236.:

Quod constat ex Regula illa juris in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Unde dicendum, irrationes istas esse veluti conditionales, hoc est, nisi cedat irritatio in damnum ejus, ob cujus favorem est facta; seu nisi cedat juri suo is, in cujus favorem fit.

Neque dicas cum Veracrux, Veg., & Graff., esse etiam validum matrimonium clandestinum in necessitate extrema, seu quando non adest Parochus, aut si periclitetur salus æterna hominis concubinari agentis animam, nisi prius contrahat matrimonium cum concubina, & filios legitimet; quia scilicet lex irritans matrimonium clandestinum est etiam conditionalis, hoc est, nisi urgeat gravis necessitas. Nam communiter docent ex usu Ecclesiæ, & ex consensu Doctorum, hujusmodi leges esse absolutas, & expedire magis ad bonum commune, quod inviolabiliter observentur, quam quod in uno, vel altero casu incommodum vitetur: Contra vero illæ leges, quæ in favorem alicujus irritant actus, sunt revera conditionales, ob rationem adductam: Utrum autem liceat matrimonium clandestinum, hoc est, sine Parocho, adhibitis tamen pluribus testibus, in locis Infidelium, ubi Parochus haberi non potest? Concedunt Doctores plurimi; præsertim quia lex Tridentini non obligat ubi illud non est receptum, ut dicemus agentes de Matrimonio.

#### ARTICULUS IV.

##### De Obligatione Legis Dubiæ.

- I. *Alibi differimus, num lex dubia obliget, sive dubium sit ex parte legis, seu præcepti; sive ex parte rei præceptæ; sive ex parte Superioris?*
- II. *In dubio, an deur lex, seu an hunc casum*

- casum comprehendat, seu an sit promulgata, probabilis illa non obligat; Secus vero si dubitetur, an sit acceptata, an abrogata, an ab ea sufficienter excuseris?
- III. Epicheja locum habet, etiam quando solum probabiliter judicamus nolle Superiorem in tali casu obligare; etiamsi finis legis solum cesset negative.
- IV. In dubio, an res praecepta sit licita, obtemperandum est Superiori illam praeipienti; Nisi tamen ea res sit valde ardua.
- V. Etiam Religiosi, quamvis sint subditi voluntarii, tenentur obedire Superiori praeipienti, etiam in dubio, an res praecepta excedat illius potestatem.
- VI. Quid si tam Superior, quam Subditus dubitent de honestate rei praeceptae?
- VII. Etiamsi dubitet subditus positive, & probabile sit, quod res praecepta sit illicita, adhuc obtemperare tenetur Superiori praeipienti.
- VIII. In dubio de legitima Superioris potestate, si haec sit in possessione, obtemperandum est praeipienti, nisi res praecepta sit valde ardua; secus vero, si ea non sit in possessione.
- IX. Quid si dubitetur, num lex sit directiva, an praeceptiva? Num obliget sub gravi, an sub levi? Num habeat rationem consilii, an legis?
- X. Quid dicendum in variis dubiis sive ad Votum, sive ad Juramentum spectantibus?

I. **P**lurima hac de re, ac fuso calamo disputavimus in secundo ex Opusculis Theologico-Moralibus agentes de conscientia dubia, & scrupulosa: In quaestione quippe quarta differentes de conscientia dubia in materia legis, vel praecepti, diximus ex triplici capite oriri posse hujusmo-

di dubium, videlicet Primo ex parte praecepti, dubitando, an sit impositum? An usu receptum? An abrogatum consuetudine, aut dispensatione? Secundo, ex parte rei praeceptae, ambigendo, an sit licita? An excedat potestatem praeipientis? Demum, ex parte Superioris praeipientis, eo quod non constet, an sit legitimus Superior? Vel an sit Superior hujus subditi? Crambe profecto recocta hic ad nauseam usque apponeretur, si iterum de hisce quaestionibus fufe disputandum esset. Quia tamen ad complementum hujus tractatus spectat de iis, utpote ad praxim pernecessariis, nonnihil agere, ideo hic paucis, veluti in compendium redigo, quae in septem articulis fufe ibi prosecutus sum; enodando etiam, quae ad licitum usum Epichejae spectant, quando dubia isthaec animum in angustias redigunt.

II. In primo itaque illius quartae quaestiones articulo expeditivimus, Num teneamur obedire in dubio, an extet Lex? Diximus autem probabilis negandum contra Probabilioristas; sicut etiam in dubio Voti, juramenti, & similibus; eo quod possessio in his dubiis stet pro libertate; ut constat ex regulis in eodem Opusculo quaestione tertia praeractis. Ex quibus sequitur, non obligare legem, si dubitetur de ejus sensu, an scilicet hunc casum comprehendat? Sicut etiam si dubitetur, an ea sit promulgata? Secus vero, si dubitetur, an Lex sit acceptata, vel usu recepta, vel abrogata, vel dispensata? Sicut etiam si dubitetur, an sufficienter ab ejus observantia excuseris? Cum in his casibus possessio stet pro lege, non pro libertate. Quamvis in hoc postremo dubio saepe habere possit locum Epicheja, ne exponaris periculo gravis damni.

III. In secundo articulo disputantes de Epicheja diximus, eam habere locum

cum

cum, etiam quando probabiliter duxerit iudicamus, nolle Superiorem in hoc casu obligare. Non est tamen necesse ad licitum usum Epikejæ, ut finis adæquatus legis hic, & nunc cesset contrarie, seu ut ejus observantia sit peccaminosa; (ut accidit, v. g. quando quis vellet moribundum relinquere, ut audiat Sacrum) sed satis est, quod ita finis legis cesset negative, ut ejus observantia hic, & nunc sit valde difficilis, & ardua, ut proinde non præsumatur a Legislatore benigno, quod velit in hoc casu obligare; quod fusius etiam quæst. 6. art. ult. discutimus.

IV. In tertio articulo disputavimus, Num teneamur obedire in dubio, an res præcepta sit licita? Qua de re nonnulla supra diximus in calce articuli secundi quæstionis primæ. Communius autem Doctores docent, in tali dubio obediendum esse, præsertim si præceptum facile impleri possit. Non leves rationes videntur suadere sententiam oppositam, quam graves Doctores tuentur cum Valq., Sal., Adrian., & aliis apud Dian. part. 4. tract. 3. resol. 9., & Tambur., qui putat utramque sententiam esse probabilem. Sed communior sententia docens obediendum esse, est solidior, & rationibus in contrarium in eo articulo adductis videtur fieri satis. Ex qua sententia plurima ad praxim deducuntur: Verbi gratia, tenetur parere Superiori ægrotus, cui præcipitur, ne jejuset, ne recitet horas, &c., etiamsi dubitet, an ratione ægritudinis sufficienter excusetur: Quod si ægrotus non esset subditus, in tali dubietate non excusaretur, etiamsi ille iudicaret excusari. Similiter miles dubitans de injustitia belli potest pugnare, si sit subditus, idque illi præcipitur; Aliter pugnare non poterit citra probabilem opinionem, quod bellum sit justum. Pariter qui dubitat, an sit

sufficiens ad confessiones audiendas; potest illas audire, si id a Superiore præcipiatur; secus vero non poterit. Et universim tenetur subditus præcepto Superioris obtemperare, etiamsi non habeat certitudinem, quod res præcepta sit licita, dummodo certitudinem non habeat, quod sit illicita, juxta celebrem doctrinam Divi Augustini contra Faustam relatam in Cap. *Quid culpatur* 23. quæst. 1. Ubi habetur: *Vir justus si forte etiam sub Rege homine sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.* Illud permiserim cum Sanch., Pal., Less., & aliis, quod si res præcepta sit nimis ardua, (ut esset, verbi gratia, longa peregrinatio, diuturna abstinentia, &c.) in dubio, an res illhæc præcepta sit licita, aut excedat potestatem præcipientis, non detur obligatio parendi; sicut neque præceptum obliget, quando ex obedientia timeatur grave damnum; tum quia præcepta humana universim non obligant cum gravi incommodo; tum etiam quia in tali dubio videtur potius prævalere jus, quod est in subdito, ne notabiliter lædatur, quam jus, quod est in Superiore præcipienti, quod non videtur illicitum. Qua de causa laudati Doctores putant in dubio de justitia gravis tributi impositi, probabiliter non teneri subditum illud solvere; cum non debeat prævalere jus dubium præcipienti, quod est in Superiore, juri certo subditi possidentis bona sua.

V. In articulo quarto, inquirentes, Num etiam Religiosi, qui sunt subditi spontanei, teneantur parere Superioribus suis in dubio, an res præcepta potestatem præcipientis excedat? Diximus pariter probabiliter esse, quod teneantur, (quamvis Suar., & Pal. sentiant, probabile esse, quod non teneantur.)

teneantur) quia licet voluntarie Religiosus statum religiosum susceperit, adhuc eo suscepto Prælatus habet jus præcipiendi ex vi jurisdictionis sibi collatæ a Pontifice; & ideo in dubio negativo prævalere debet possessio, quæ est in Superiore relate ad Religiosos; non secus ac in Prælato, ac Principe relate ad subditos suos. Unde eodem pacto videtur utrobique ratiocinandum; ita scilicet, ut solum quando res est nimis ardua, probabiliter in tali dubio ratione Episcopæ obedire non teneantur. Utrum autem qui extra statum religiosum simplici voto obedientiæ astrictus est alteri obedire, adhuc teneatur obedire in casu consimili dubio? Affirmant probabiliter Suar., & Breslerus, quia vovens alteri obedientiam vult ab eo regi vice Dei, præsertim in rebus dubiis, in quibus directio est necessaria. Ex quo sequitur, Moniales in casu dubio teneri Abbatissæ parere, quamvis huic non competat potestas spiritualis, sed economica, & civilis, qualem habent Patresfamilias in filios, Magistratus in cives, & Abbates in Eremitas, qui simplici voto obedientiæ se illis alicubi obstringunt: Aliter magna perturbatio inter Moniales, & hujusmodi subditos oriretur, si cuilibet integrum esset prætextu proprii dubii obedientiam denegare.

VI. In articulo quinto disputatur, Num subditus obedire teneatur, quando etiam Superior dubitat de honestate rei præceptæ. Et pro utraque parte stant Doctores primi subsellii, & rationes non fuites. Dicendum verius, quod si in tali casu Superior non præmissa diligentia ad dubium deponendum, præcipiat, subditus obedire non teneatur; Secus vero: si debitam diligentiam præmiserit, & adhuc dubium perseverat: Ad eum modum, quo conjux dubitans de valore Matrimonii, si post præmissam debitam

diligentiam, adhuc dubium perseverat, potest licite debitum petere, & alter reddere tenetur; quia in tali dubio stat in possessione valor matrimonii, quod confert jus ad debitum petendum. Probabile tamen est, quod si res præcepta sit nimis ardua, subditus obedire non teneatur, quando post præmissam diligentiam ad vincendum dubium, tam Superior, quam subditus in eadem dubietate persistunt.

VII. In articulo sexto inquiritur, Num teneatur obedire subditus in dubio positivo, seu quando probabile est, rem præceptam esse illicitam? Putant probabiliter graves Doctores cum Less., Pal., Ledesm., & aliis apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 31., quod non teneatur; præsertim si res præcepta sit ardua, & detur locus Episcopæ. Sed communius illum obligant ad obediendum; tenetur quippe Subditus ponere quicquid præcipitur, si potest sine peccato poni; ut in casu nostro; quod validæ rationes evincunt.

VIII. In articulo septimo similiter quæritur, An teneatur subditus obedire, quando dubium est de legitima Superioris potestate? Et communiter contra nonnullos docent, tunc teneri, quando Superior est in possessione suæ Prælationis; quia nequit spoliari jure præcipiendi, quod possidet, propter dubium superveniens: Sicut conjux nequit spoliari jure petendi debitum, quando bona fide possidet suum matrimonium, etiamsi alteri dubium aut negativum, aut etiam positivum superveniat. Sic etiam miles subditus pugnare tenetur, prout præcipitur a Principe pacifice suum Principatum possidente, etiamsi detur ratio probabilis de belli injustitia. Pariter Reus, & testis, si a Jure interrogentur, qui sit in suæ jurisdictionis possessione, tenentur ad mentem interrogantis respondere; quamvis dubitent de legitima

tima Judicis interrogatione; dummodo ex tali responsione non immineat sibi, vel aliis grave damnum; Nam in tali casu probabiliter poterunt uti æquivocatione; quia, ut supra dictum est, sicut nequit spoliari Judex jure interrogandi, quod possidet, propter dubium superveniens; ita nequit Reus, aut Testis spoliari honore, vita, fama, ac bonis, quæ possident, propter dubium superveniens; unde non tenentur isti se exponere periculo amittendi propria bona, si non constet, quod Judex juris ordine servato, ac legitime interroget.

IX. In articulo octavo diximus, in dubio, num statutum aliquod habeat rationem legis, an meræ directionis, censendum esse, quod sit directio, eo quod non constet de lege obligante. At si dubitatur, num lex habeat rationem præcepti, an consilii, dicendum, quod habeat rationem præcepti, eo quod obligatio natura sua consequatur ad legem. Similiter in dubio, an lex obliget sub gravi, dicendum, obligare sub gravi, si constet de gravitate materiæ; At si dubitetur de intentione Legislatoris, num velit sub gravi obligare, dicendum, quod obliget sub levi. Præterea verbum præceptivum in lege Canonica indicat secundum se obligationem gravem, secus vero in lege Civili, quippe quæ solum sub pœna temporali solet aliquid præcipere.

X. Quia tamen Votum est quædam lex privata, quam sibi met vovens imponit, idcirco sicut plurima a Doctoribus inquiruntur circa obligationem legis dubiæ; ita pariter circa obligationem voti dubii, quæ nos etiam huc profecuti sumus in quæstione sexta ejusdem Opusculi secundi de Conscientia dubia, & scrupulosa; quæ hic innuntur dumtaxat, ut possit Lector solutionem talium dubiorum

in ea quæstione perquirere, ubi opus erit. Ambigitur itaque primo, num in dubio voti, juramenti, aut promissionis detur obligatio ea adimplendi, sive dubium sit negativum, sive positivum? Et quid, si detur pro voti nuncupatione solida probabilitas citra ullam probabilitatem in oppositum? Secundo, num voto tenearis, si dubites de perfecta deliberatione in eo emittendo, vel ratione ætatis, vel ratione somni, aut vehementis passionis? Tertio, si dubitetur a vovente, an votum sit de meliori bono; aut si dubitetur, num materia licita evaserit illicita? Quarto, Utrum teneatur vovens ponere unam partem rei promissæ, si non potest alteram, in dubio num utramque voverit copulative, & per modum unius, an divisivæ, & per modum plurium? Verbi gratia, si quis voverit Religionem ingredi, & castitatem servare, dubitet tamen, an copulative utrumque voverit, num teneatur ad castitatem, si non possit ingredi Religionem? Pariter, si quis voverit aliquid propter duplicem finem, alterum aptum, alterum ineptum; Verbi gratia, vovit quis stipem erogare, & ad sublevandam miseriam pauperis, & propter inanem gloriam, aut ad agendas Deo gratias, quod inimicum occiderit, dubitat tamen, num utrumque finem intenderit copulative, an divisivæ, teneturne votum servare? Quinto, In dubio an votum fuerit ante pubertatem emissum, num possit a Patre irritari? Et in dubio, an fuerit emissum ante septennium, num obliget? Hæc, & his affinia loco laudato perpenlis utrinque rationum momenti disceptavimus, unde non opus est hic diutius in iis immorari; præsertim quia non potest istorum omnium dubiorum resolutio paucis verbis concludi.

QUÆ-